

Ambrosius in Psalm. XL, n. 30 haec ait: « Ipse est Petrus, cui dicit Christus: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia. » Nimirum negative sicut aedificium non est ubi non est fundamentum, sive aedificium non est quod non incumbit fundamento; ita Ecclesia non est ubi non est Petrus, nempe Ecclesia non est, quae non est unita Petro. Positive ubi Petrus ibi Ecclesia, h. e. ea communio, quae Petro adhaeret eo ipso est vera Christi Ecclesia; est ergo in Petro ratio sufficiens cur communio sibi cohaerens sit vera Ecclesia. Porro si communio quaevis non est Ecclesia eo ipso quod non adhaeret Petro fundamento, si Ecclesia est eo ipso quod adhaeret; ergo Petrus, quatenus Petrus, h. e. fundamentum petra Ecclesiae, est necessarium principium constitutum ipsius Ecclesiae, colligens omnes in unam societatem quae est sola vera Ecclesia; principium nempe efficiens unitatis totius Ecclesiae. Quod si ubi non est Petrus, ibi non est Ecclesia, unitas quoque cuiuscumque particularis Ecclesiae pendebit a Petro, sive ab unione cum ipso. Ergo eo spectat institutio *Petrae* Ecclesiae sive Primatus Petri ut sit principium efficiens unitatis Ecclesiae.

Et sane haec fuit semper certissima Ecclesiae sententia; cuius rei luculentum testimonium est subscriptio facta ab omnibus orientalibus Episcopis formulae fidei ab Hormisda propositae ut ad unitatem Ecclesiae reciperentur qui propter acacianum schisma ab ea defecerant. Praemissis enim verbis Christi ad Petrum: tu es Petrus etc. profitentur graeci Episcopi se nolle separari a spe et fide Sedis Apostolicae, et ideo anathematizare haereticos omnes... suscipere et approbare omnes epistolas Leonis Papae quas de religione christiana conscripsit, sequi se in omnibus Apostolicam Sedem et praedicare eius omnia constituta, sperantes ita ut in una communione cum Apostolica Sede esse mereantur, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas; ac promittentes se eorum nomina inter sacra mysteria non recituros, qui sequestrati essent a communione Ecclesiae catholicae idest non consentientes Sedi Apostolicae. Iam vero in hac professione continetur sollemnis professio necessitatis communionis cum Sede Romana ut ab Ecclesia sequestratus sit qui ei non consentit; cuius necessitatis ratio verba sunt Christi constituentis Petrum eiusque successores Petram Ecclesiae. Proinde auctoritas Apostolicae Sedis est certe quoddam principium unitatis Ecclesiae. Est autem principium efficiens, quia, qualis in hac formula exhibetur, est auctoritas suprema cui omnes subesse debent, non quidem ministerialis h. e. ab Ecclesia derivata; neque enim Ecclesiam iam constitutam supponit, sed est auctoritas immediate a Deo in Petro eiusque successoribus constituta, auctoritas nempe *Petrae* supra quam Ecclesia est aedificata.

Huius praeterea fidei testes sunt Synodi oecumenicae. Testis est enim Synodus VIII, quae eandem mox recitatam professionem emisit Act. 1. Tum testis est Synodus Lugdunensis II. in qua probata est professio fidei quae haec quoque continebat: « Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit... Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae... Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit. » Iam vero principium efficiens unitatis socialis est auctoritas suprema et universalis non quidem ea quae sit delegata a societate alicui suo ministro ita ut ea iam ipsam societatem unam supponat, sed quae necessario praeventit quamlibet delegationem societatis et necessario est in societate; atqui ex hac professione fidei constat talem esse Primatum Romani Pontificis, qui dicitur habere auctoritatem supremam et universalem, eamque a Deo immediate accepisse institutore societatis: talis scilicet auctoritas non est delegata a societate, et est necessaria in societate a Christo instituta. Pariter eiusdem rei testis est Florentina Synodus, definiens « Rom. Pontificem esse verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in b. Petro pascendi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse » idem enim ac efficacius docet haec definitio quod professio Lugdunensis.

Cum hac doctrina quam vindicamus cohaeret quod sec. X Abbo Abbas scribebat (epist. V. Gallandi Bib. Tom. XIV). « Romana Ecclesia sua super omnes Ecclesias excellentia hoc habet privilegii, ut sicut claviger regni caelestis obtinet principatum apostolici culminis, ita eadem Romana Ecclesia auctoritatem tribuat omnibus quasi suis membris, quae sunt per quatuor climata totius orbis. Qui ergo Romanae Ecclesiae contradicit, quid aliud quam se a suis membris subtrahit ut fiat portio adversariorum Christi? » Porro ea excellentia sedis isque principatus qui ceteris auctoritatem tribuit est profecto principatus efficiens unitatem societatis cui praeest. Itaque traditio catholica manifesta est in hac re. Quae autem contra afferri possent expendemus suo loco in seqq. Thesibus.

THESIS XIII.

*Cum hac Primatus dignitate consortum est ut iurisdictio Romani Pontificis in omnes Christi fideles tam seorsim singulos quam simul omnes sit ordinaria et immediata.*

I. Haec Thesis nexa est necessario cum praecedente, eiusque explicatio haberi debet. Pro intelligentia terminorum adverte quod potestas sive iurisdictio *ordinaria* usu ecclesiastico dicitur ea quae dignitati vel magistratui vel praefecturae ipso iure sive divino sive humano annexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis, sed vi suae dignitatis suique officii exercet. Ita omnes Canonistae. *Immediata* potestas vel iurisdictio opponitur *mediatae*. *Mediata* iurisdictio in aliquos dicitur quae habetur in eorum immediate superiores, per quos veluti medios ipsa attingit quoque horum subditos: contra *immediata* in aliquos iurisdictio est quae in ipsos tanquam proprios subditos fertur absque ope alicuius interpositae potestatis. *Immediata* iurisdictio non impedit quominus plures sint qui eundem populum immediate regant, dummodo diverso modo et cum subordinatione potestas ea in pluribus sit. Ita in regno gubernatoribus propriis et regi subsunt immediate subditi; in Dioecesi Parochis et Episcopo. Cum iurisdictio immediata possit esse et princeps et subordinata, si rationem genericam quaeris iurisditionis *immediatae*, ea non est quae potest omnes actus qui necessarii sunt ut sui subditi regantur, cuiusmodi non est iurisdictio gubernatoris quae nequit leges ferre; nec ea est quae debeat per se ipsam omnes actus ponere qui requiruntur ad regimen subditorum, quemadmodum id non praestat auctoritas Regis in regno, quae tamen est quoad omnes subditos *immediata*; reguntur enim et ligantur omnes suis legibus absque ulla alia media auctoritate quae prior liget. Sed iurisdictio *immediata* generice est ea quae aliquos actibus suis regit non quatenus alios regit a quibus illi reguntur, sed quatenus illos ut subditos proprios regit. Specificè vero iurisdictio *immediata* eademque princeps in societate ita describi potest: ut sit ea quae omnes ad societatem spectantes actibus suis regit ut proprios subditos absque ope *intermediae* auctoritatis, quaeque ex se potest omnes actus qui requiruntur ut subditi bene regantur. Cum autem ea dicitur posse omnes actus distingui inter *posse physicum* et *posse iuridicum*. *Iuridice* quidem potest omnes actus iurisdictio *immediata* princeps, ita ut semper validi sint cum ponuntur: quoad potestatem vero *physicam* distinguendum rursus est: nam aliquid *physice* possumus per nos ipsos, aliquid per alios quibus potestatem nostram delegamus.

Si societas ampla sit fieri nequit ut supremus princeps *physice* per se possit omnes actus necessarios regimini, at poterit certe per delegatos suos; idque necesse est ut possit, si vere est eius iurisdictio princeps et *immediata*. Non tamen spectat ad hanc *immediatam* et principem iurisditionem obligatio ponendi omnes actus per se ipsam, quia et sine hoc exercitio manet integra ea iurisdictio, et non datur obligatio ad impossibile; nec ad eam spectat obligatio exercendi se per alios a se delegatos agentes nomine suo, si constitutio societatis talis sit ut per alios ii actus exerceri possint.

Porro adverte falsum esse quod in serie ordinata eorum qui potestate funguntur in societate, ille qui praest imperet tantum iis qui *immediate* ipsum in ea serie sequuntur: liquet id in monarchia civili, in qua Regi omnes prorsus cives *immediate* subsunt. Ita quoque Deus in hac mundi universitate omnes *immediate* movet et regit. Unde cum propter seriem ordinatam praesidentium, alter qui subditis proximus est dicitur *immediatus superior*, alter qui uno gradu vel pluribus excedit, dicitur *superior mediatus*, non significatur distinctio subditorum qui alii sint pro distinctis superioribus, sed designatur ordo praesidentium inter se ipsos, diversumque officium in exercitio potestatis. Qui enim inferior est, magis particularia, et quae propria sunt alicuius partis societatis; qui superior est, is universalia magis et communia omnibus curare debet.

II. Quaestio modo non est duplex, utrum nempe iurisdictio Romani Pontificis sit *ordinaria*, et utrum sit *immediata* in omnes; sed una est, scilicet utrum iurisdictio eius sit *ordinaria* *immediata* in omnes; sive utrum eius iurisdictio *ordinaria* sit *immediata* in omnes Christi fideles. *Ordinariam* enim esse iurisditionem Romani Pontificis nemo negat nisi qui negat eius *Primatum*: sed quaestio est quanta sit et quousque se porrigat, an *immediate* attingat omnes fideles, an tantum *mediate*.

Febronius censet ad Romanum Pontificem *immediatam* curam et directionem singularium ovium totius Christiani ovilis non pertinere sed solum *praesidium et directorium universi*, idque se probasse toto suo opere contendit c. VII, §. 7. *Praesidium* vero et *directorium universi* in eo est quod Romanus Pontifex bonum unitatis curet *advigilando et dirigendo*, consilio nempe non coactione (c. XI, §. 4), atque *in casu negligentiae aut malitiae Episcoporum* possit iudicare causas eorum subditorum etiam citra appellationem, eorumque Praelatorum dioeceses administrare et regere etiam contra voluntatem eorundem Praelatorum, atque absolvere a peccatis. Excepto eo casu Romanus Pontifex non nisi *mediata* gaudet iurisditione in singulos fideles. Unde eius potestas est per se *mediata*, per accidens

et veluti extraordinarie, immediata. Ita et Eybel damnatus a Pio VI Brevi *Super Soliditate*.

Sententia catholica est iurisdictionem ordinariam Romani Pontificis esse immediatam in fideles quosvis tam seorsim singulos, quam simul omnes, hucque spectare institutionem Primatus ut huiusmodi iurisdicatio obtineat. Falluntur scilicet ii qui putant 1) eatenus Romanum Pontificem esse Ecclesiae caput, quia est primus inter hierarchas: et idcirco 2) non aliter ad gregem universum referri nisi per illos ipsos hierarchas, atque ad singulos hierarchas nisi per gradus medios et interiectos: ipsumque 3) proinde vocari et esse universalis Ecclesiae Episcopum tantummodo mediate. Quare e contrario iuxta doctrinam catholicam spectanda est Ecclesia veluti una familia, cuius unus est Pater, qui omnium et singulorum bono consulit, omnes et singulos pascit et regit: et sicut, auctore Cypriano, Ecclesia est plebs sacerdoti suo adunata, et pastori suo grex adhaerens, ita universa Ecclesia est universa plebs fidelium uni Sacerdoti hoc est Episcopo et Pastori adunata et adhaerens, ut tota uni Episcopo immediate subsit. Probandum est igitur institutionem Primatus eo spectare ut iurisdicatio ordinaria Romani Pontificis immediate completatur tum generatim singulos quosque fideles, tum speciatim ipsos quoque Episcopos qui et ipsi fideles sunt; atque hos omnes non tantum seorsim singulos sed et simul omnes sumptos; ex quo consequitur iurisdictionem huiusmodi esse vere episcopalem in universam Ecclesiam, ideoque Romanum Pontificem in ipsos Episcopos iurisdictionem Episcopalem habere.

III. Sane 1) Romanus Pontifex solus habet a Christo claves regni caelorum quod est Ecclesia; potest ligare et solvere quaecumque et quoscumque ipse censet in Ecclesia, et ita ut nemo solvere possit quod ipse ligat, nemo ligare quod ipse solvit, atque idcirco absque concursu alterius auctoritatis possit ipse ligare et solvere quae censet liganda aut solvenda (Th. I. in haec verba Christi); atqui haec est iurisdicatio immediata quoad omnes et singulos fideles: ergo. Pro minor. Potestas universalis quoad omnia negotia et quoad omnes personas, atque independens in exercitio sui et nullius alterius potestatis cooperationis indigens, est immediata iurisdicatio in omnia membra societatis: atqui potestas descripta clavium regni est talis; ergo. Maior est evidens: nam si potestas se extendit ad omnia et omnes, et non indiget concursu alterius auctoritatis vel paris vel inferioris ut efficax sit, ipsa immediate regit omnes personas societatis: minor quoque evidens est ex superius demonstratis: ergo.

2° Romanus Pontifex est profecto Pastor; ergo aliquos immediate pascit. Consequentia evidens est etiam in sententia adversariorum;

quia nisi aliquos immediate pascat, nequit esse aut concipi pastor. Iam vero quinam sunt quos Romanus Pontifex immediate pascit? certe illi qui eidem pascendi traditi sunt a Christo: nam aut hi aut nulli: non enim est Pastor nisi quia Christus ipsi aliquos pascendos commendavit. Atqui Christus ipsi pascendos tradidit omnes, agnos scilicet suos et oves suas, praeter agnos vero et oves Christi nihil est in Ecclesia; ergo omnes immediate pascit. Et sane iuxta adversarios Romanus Pontifex oves saltem aliquas immediate pascit: cur vero nisi quia Christus ei dixit *pasce oves meas*? atqui pariter Christus ei dixit *pasce agnos meos*, et non dixit aliquas oves aut aliquos agnos sed *oves meas, agnos meos*, quibus verbis universi fideles comprehenduntur: ergo.

3° Dices Romanum Pontificem esse petram Ecclesiae: in materiali autem aedificio non omnes lapides immediate adhaerent fundamento, sed praeter paucos ceteri mediate: ergo et in Ecclesia non omnes immediate reguntur a Petro. Verum si non leviter, sed penitus rem consideres, oppositum prorsus colliges. Oportet enim habere rationem rei significatae per Petram seu fundamentum. Id porro probavimus esse auctoritatem supremam in Ecclesia et independentem. Iam vero proprium est auctoritatis supremae et independentis in societate ut omnes ei immediate subsint, ita ut legibus eius eiusque sententiis absque alia auctoritate intermedia obligentur: ergo talis quoque est iurisdicatio Petrae Ecclesiae.

Institutionem Christi agnoverunt Patres. Sane Romanus Episcopus frequenter vocatur ab his *Episcopus* seu *Patriarcha oecumenicus*; τῷ ἀγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ δίκουμένικῳ ἀρχιεπισκοπῶ καὶ πατριαρχῆ Δεσόντι, aiunt libellum offerentes lectum in Chalcedonensi Synodo Theodorus et Ischyrius Diaconi Alexandrini, Athanasius Alexandrinus presbyter, et Sophronius; eadem appellatio occurrit facta Agapito in Conc. Constantp. sub Menna; pariter in Concilio VI. Donus vocatur a Constantino Pogonato *oecumenicus* Papa, et in Chalcedonensi Concilio sic subscripsit Legatus Paschasinus: «Paschasinus episcopus Lilybetanae, vicarius beatissimi atque apostolicae *universalis Ecclesiae Papae* urbis Romae Leonis » etc. ipseque Leo in epist. LXIV ad Marcianum, sibi hunc titulum tribuit. « *Leo Episcopus romanae et universalis Ecclesiae.* » Pariter sententia est Patrum *unam esse cathedram in Ecclesia*, quae est cathedra Romana seu cathedra Petri ut audivimus ab Optato et a Cypriano, *ac omnes eos proprie regi a Petro quos principaliter regit Christus*, ut ait Leo serm. III. in assumpt. sua, atque « *curam b. Petri praesentes habere omnes fideles licet longissime dissitos* »; ut loquitur Caelestinus in litteris ad Patres Ephesinos: cui similia habet Gelasius ad